



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CCXIX. Quomodo intellectus Angeli sit in potentia, & in actu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

mo igitur modo intellectus Angeli nunquam est in potentia respectu eorum, ad quæ eius cognitio naturalis se extendere potest. Sicut enim corpora superiora, scilicet cælestia non habent potentiam ad esse quæ non sit completa per actum, ita cælestes intellectus, scilicet Angeli non habent aliquam intelligibilem potestiam, quæ non sit totaliter completa per species intelligibiles connaturales eis. Sed quantum ad ea, quæ eis diuinitus reuelantur, prohibet intellectus eorum esse in potentia: quia sic etiam corpora cælestia sunt in potentia quandoque vt illuminentur à Sole. Secundo vero modo intellectus Angeli potest esse in potentia ad ea, quæ cognoscit naturali cognitione. Non enim omnia, quæ naturali cognitione cognoscit semper actu considerare: sed ad cognitionem verbi, & eorum quæ in verbo videt, nunquam hoc modo est in potentia, quia semper actu intuetur verbum, & ea quæ in verbo videt. In hac enim visione eorum beatitudo consistit. Beatitudo autem non consistit in habitu, sed in actu, vt dicit Philosophus in 1. Ethic. cap. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod motus ibi non sumitur secundum quod est actus imperfecti, id est existentis in potentia; sed secundum quod est actus perfecti, id est existentis in actu. Sic enim intelligere & sentire dicuntur motus, vt dicitur in 3. de anima.

Ad secundum dicendum, quod desiderium illud Angelorum non excludit rem desideratam, sed eius fastidium. Vel dicuntur desiderare Dei visionem quantum ad nos reuelationes, quas pro oportunitate negotiorum à Deo recipiunt.

Ad tertium dicendum, quod in substantia Angeli non est aliqua potentia denudata ab actu. Et similiter nec intellectus Angeli sic est in potentia quod sit absque actu.

Notationes circa Articulum.

Prima conclusio est: Si loquamur de actu primo ad intelligendum respectu eorum, quæ Angelus cognoscere potest, semper est in actu, & nunquam in potentia: respectus tamen eorum, quæ diuinitus reuelantur, intellectus Angeli est aliquando in potentia. Secunda conclusio: Si loquamur de actu secundo, qui est intellectio, aliquando est intellectus in potentia, etiam respectu eorum, quæ potest naturaliter cognoscere: quia non omnia, quæ naturaliter nouit, semper actu considerat. Tertia conclusio: Respectu Dei, & eorum, quæ in verbo videntur, semper est in actu visionis clare. Circa tertiam conclusionem notandum est, cum inquit S. Doctor, ea quæ videntur in verbo semper actu videri à beato Angelo, intelligere non ab initio suæ beatitudinis, iuxta ea, quæ ipse docuerat quæst. 57. artic. 5. sed post.

Vasquez in 1. p. tom. 2.

quam reuelata in tempore fuerat. Eodem modo intelligendum est, quod ait artic. sequenti, hæc omnia simul videri, de quo satis à nobis dictum est supra disputar. 54.

DISPUT. CCXIX.

Quomodo intellectus Angeli sit in potentia, & in actu.

De actu primo Angeli ad intelligendum supernaturalis.

cap. 1.

De habitibus naturalibus, quibus intellectus Angeli est in actu primo. cap. 2.

De actu secundo intellectus Angeli, qui est intelligere. ca. 3.

CAPVT I.

De actu primo Angeli ad intelligendum supernaturalis.

Sanctus Thomas in articulo ita videtur locutus de actu primo Angeli ad intelligendum supernaturaliter, vt non intellexerit de habitibus supernaturalibus: & ita dixit, respectu eorum, quæ Angelus reuelatione solum diuina cognoscit, intellectum Angeli non esse semper in actu primo. Præterea per actum primum ad hæc mysteria cognoscenda non intelligit species aliquas infusas supernaturales: quia Angelus in via mysteria supernaturalia per species rerum naturalium cognoscit: ergo per actum primum intelligit etiam reuelationem: nam intellectus indiget tanquam principio, non solum speciebus, sed etiam diuina reuelatione, vt cognoscat mysteria supernaturalia. Ceterum cum præter species requiratur etiam habitus infusus supernaturalis; tamen nullam de illo mentionem fecit S. Thom. Nonnulli Thomistæ existimant probabile, habitum infusum ad credendum in Angelis non fuisse distinctum ab speciebus intelligibilibus, aut saltem nihil referre hoc, aut alio modo de habitu infuso in Angelis theologizare. Mea tamen sententia, eodem modo in Angelis, sicut in hominibus dicendum est, fuisse habitum infusum fidei in via ad credendum mysteria supernaturalia, siue habitus ille infundatur ad efficiendam substantiam actus credendi, siue ad modum aliquem in actu, de quo suo loco dicemus. Neque oppositum docuit Caietanus vt falso à nonnullis refertur. Imo vero ipse Caietan. quæst. 50. art. 6. ita interpretatur Doctorem sanctum in eo articulo, cum ait, in Angelis esse habitus: vt intelligatur tam de naturalibus, quam de supernaturalibus, & infusis: quia in via habuerunt habitum fidei, in patria vero habitum luminis: quare de aliis etiam habitibus infusis in voluntate eodem modo dicendum est. Et ratio est eadem: si enim in homine requiritur talis habitus, vt ipse producat substantiam, vel modum actus per naturalem formam intrinsecam, sibi que inherenter, cuius virtute connaturaliter operaretur, & non solum per auxilium Dei assistentis & cooperantis, eadem ratione in Angelis huiusmodi habitus constituendus est: quia eodem modo eius potentia cum actu supernaturali, vel cum modo illius comparatur.

CAPVT II.

De habitibus naturalibus, quibus intellectus Angeli est in actu primo.

De habitibus etiam naturalibus quibus intellectus Angeli constituitur in actu primo non eodem

Quid intelligat S. Thom. per actum primum ad cognoscenda mysteria.

Caietanus.

Nonnulli
concedunt
habitus ac-
quisitos.

eodem modo sentiunt Doctores. Nonnulli Thomistæ docent primò, esse aliquos habitus acquisitos in intellectu Angeli distinctos ab speciebus intelligibilibus: hos dicunt esse habitus opinionis: & fidei acquisita circa objecta illa, quæ ab eo naturaliter cognosci non possunt, siue illa sint supernaturalia, qualia sunt mysteria gratiæ: siue naturalia qualia sunt futura contingentia: nec enim omnia entia ordinis naturalis sub omni consensu fiat. Ab Angelo possunt naturaliter cognosci sine reuelatione. Deinde affirmant, circa alia objecta naturalia quæ naturaliter ab Angelo euidenter cognosci possunt, non esse in Angelis habitus distinctos ab speciebus intelligibilibus. Quare nec habitum philosophiæ, nec mathematicæ ab Angelis comparari. Ratio vero huius sententiæ est, quia sicut ab hæc objecta naturalia, quæ posteriori loco retulimus, Angelus summa promptitudine intellectus fertur, & ideo non indiget habitu, à quo determinetur, & habilis fiat, ita etiam ad illa objecta, quæ priori loco adduximus, intellectus Angeli non est omnino determinatus, ac proinde habitu aliquo indiget, quo determinetur, & habilis fiat. Qui hæc sententiam sequuntur, arbitrantur, esse etiam S. Thom. 1. 2. q. 50. art. 6. vbi concedit in Angelis habitus naturales: cum enim habitus debeat esse qualitas distincta ab speciebus, sequitur, Sanctum Thomam præter species intelligibiles habitus alios intellectus in Angelis posuisse.

Vera senten-
tia Auctoris.

Caictanus.

Mea tamen sententia nullus habitus præter su-
pernaturales & infusos natura sua distinctos ab
speciebus intelligibilibus intellectui Angeli tri-
buendus est. Quam opinionem tradidit Caietan-
us in eo art. 6. imo etiam S. Thom. ut ipsum interpre-
tatur Caietan. ibidem: cum enim dixisset Angelum
in genere intelligibilem non esse puram poten-
tiam, neque purum actum, sed partim in actu,
partim esse in potentia: postea subiungit, intel-
lectum, quatenus est in potentia, perfici habere
tualiter per aliquas species intelligibiles, ut ope-
retur, nempe circa obiecta intelligibilia, præter
seipsum: nam ad intelligendum seipsum esse qui-
dem partim in actu per suam essentiam, quia est
in actu primo ad intelligendum seipsum. Docet
igitur S. Thomas habitum, quæ perficitur intelle-
ctus Angeli, & redditur in actu primo circa ea,
quæ naturaliter cognoscere potest (de his enim lo-
quitur) esse species ipsas intelligibiles, quæ licet
non habeant omnia, quæ habent alii habitus, quia
non intenduntur & remittuntur, assimilantur ta-
men habitibus in hoc, quod sunt simul cum po-
tentiâ principii operandi, & ideo non immerito
habitibus appellatur.

Fundamen-
tum eius.

• Ratio vero nostre sententiæ est, quia habitus
vno ex duobus modis potentia assignandus est,
aut ad simpliciter operandum, hoc est ad substan-
tiam ipsam actus producendum, vel ad facilita-
tem, ut scilicet intellectus facilius operetur, nunc
entem non disputo, utrum habitus supernaturales
assignentur ad substantiam actus, an ad facilita-
tem, aut ad aliquem alium modum, quem non
nulli comminiscuntur. De habitibus igitur natu-
ralibus verum est, vno ex illis duobus modis so-
lum esse ponendos. Sed neutro modo in Angelo
videtur naturales habitus necessarij: ergo fru-
stra ponuntur. Primum non sunt necessarij ad sub-
stantiam actus, qui ad cognitionem rerum, quas

A R T I C. II.

Angelus naturaliter potest cognoscere, sufficienti
& integrum in se habet principium, nempe facilitatem ipsam intellectus & species, liquet enim in nobis hæc duo sufficere ad producos quoscumque actus intelligendi naturales: prius enim intelligimus, quam habitus adquiramus ergo ut Angelus credat fide adquisita, & non infusa, vel opinione aliqua & coniectura ea, quæ eundem cognoscere non potest: sufficiens illi principium effi-
ci facultas ipsa cognoscendi, & species ad produ-
cendum substantia actus: quoties autem intendimus principium aliquis effectus, frustra adducere aliud ex parte causæ, nec ullus efficiens aliquid esse potest: frustra igitur addimus intellectui Ange-
li præter species intelligibiles habitum adquisi-
tum ad credendum fide adquisita, ut opinio, quo
concurrat ad substantiam actus. Sed neque
posteriori modo habitus necessarii, aut aliquis
efficacitatis in Angelo esse potest, nempe ad faci-
litatem credendi fide naturali, aut opinandi circa
ea, quæ natura rei cognoscere non potest: intelle-
ctus enim Angelus ex se igitur perspicax effi, & ab om-
ni impedimento liber, ut summa facilitate sciat
in id, quod credibile, aut opinabile non apparet,
sibi quæ summa facilitate ut tale præsentatur,
ergo non indiget habitu aliquo adquisito, quo li-
bi facilitatem ad hanc cognitionem adquirat. E-
dem quoque ratione dæmones, qui credunt &
contemnitur, ut dicit Iacobus cap. 2. non indi-
gent habitu aliquo adquisito, ut credant ita enim
ipso euentu rei convicti credunt, ut non possint
non credere: ad assensum autem, qui ita neces-
sario consequitur, nulla alia facilitas, & promptitudo
requiri potest.

Tandem obseruatum S. Thoma in eodem articulo, in Angelo non esse vllum habitum naturalem adquiretum, qui disponat ad esse, qualis potissime est habitudo sanitatis, & valetudinis. Ratio autem est manifestissima: nam cum Angelus sit simplex secundum rem: & hoc genus habituum naturalem in necessarium ad consequendum vniuersum partium essentia, & substantia, aut anime, & corporis, nulla ratione videtur necessarius in Angelis. Et haec tenet circa primam conclusionem articuli.

CAPVT III.

*De actu secundo intellectus Angelus qui
est intelligere.*

Circa secundam conclusionem , que est de actu intelligendi , qui dicitur actus secundus in intellectu , Scholastici etiam varie sentiant . Sanctus Thomas solum dixit Angelum circiter , quæ potest naturaliter intelligere , non semper esse in actu secundo , hoc est non semper ea actu considerare , sed aliquando esse solum in potentia intelligi . Ex qua quidem sententia non sequitur , circa aliqua eorum , quæ naturaliter cognoscuntur , semper esse in actu considerationis . Sunt tamen nonnulli Thomistæ , & Theologi Scholastici , qui docent , Angelum semper seipsum acriter intueri : ita docent Caietanus articulo sequenti §. Cuiusvis nam conclusionem , & §. Ad evidentiam , Itemque 2. in contingentes , capiti. 97. Hervaeus in 2. distinctione quæ disputatio 4. ad 1. in oppositu , Agellius libro 6. dist. 2. questione 4. ad 1. art. 1. dub. 1. ad 2. argumentum , Copreus parte , quest. 2. art. 1. dub. 1. ad 2. argumentum , Capreus quasi 2. artic. 3. ad 6. Gregor. contra 9. gentes in favilla 2. (Gauens)

soluione, Durandus quest. 8. num. 9. imo & ipse S. Tho. libro illo 2. contra gentes, capit. 97. & quest. 8. de veritate, artic. 6. ad 7. & art. 14. ad 6. Et confirmari potest primum, quia cognitio sui in Angelo nihil impedit aliarum rerum cognitionem, cum sit omnium earum fundamentum: cur ergo dicemus, Angelum ab ea aliquando cessare? Deinde si Angelus ab hac cognitione sui posset cessare: eodem modo ab omnibus aliis, non solum sigillatim, sed etiam simul vacare posset, quod videtur absurdum cum substantia viuens non debeat sine aliqua operatione vitæ esse. Postremo id probat S. Doctor art. 14. ad 6. quia Angelus cognoscit seipsum per suam essentiam, & ea semper informatur: ergo per illam semper intelligit: mitto alias rationes, quas affert S. Thom. 2. illo contra gentes, cap. 97. quia minoris momenti sunt.

Ego quidem non legi vllum ex Scriptoribus, qui oppositum doceat: nec est ratio vlla, quæ probet Angelum à cognitione sui cessare posse. Ceterum nec rationes adductæ oppositum efficaciter demonstrant, vt ex eorum soluione patebit. Ad primam responderi posset, non ideo Angelum à cognitione sui cessare, quia cognitione alicuius alterius rei impeditur: sed quia libere possit ab ea cessare: cum nihil sit, quod ad eam necessario moueat: intellectus enim non solum cessat à cognitione vnius rei, quia impediatur alterius rei cognitione: sed quia vult ab ea omnino cessare. Adde quod non satis probatur id, quod assumitur, nempe cognitionem sui in Angelo esse fundamentum aliarum intellectuum. Ad secundam rationem posset aliquis dicere nihil ob stare, quo minus natura pure intelligens, qualis est spiritus, cesset ab omni operatione vitæ quia omnis operatio huiusmodi est ei voluntaria aliter, quam in aliis viuentibus. Hæc enim habent operationes alias necessarias, à quibus cessare non possunt: sicut igitur animal potest ab omni operatione sensus naturaliter cessare: quid mirum, si Angelus ab omni intellectu notitia voluntarie vacare possit? Quomodo autem Angelus reducat ad primam cognitionem naturalem, iam diximus supra disp. 211. c. 6. & disp. 221. c. 3. in fine dicemus. De qua re nihil audeo Greg. desinire in 2. d. 11. in extremis verbis qu. vbi hanc erigit difficultatem. Deinde etiam posset quis ad secundam rationem respondere, non posse Angelum ab omni simul cogitatione cessare: bene tamen posse à qualibet particulari, vt in nostra imaginatione contingit, à qua omnino euellere non possumus omnem cogitationem: quamlibet tamen bene possemus. Tertia etiam ratio parum probat: nam quod Angelus semper informetur sua essentia: non satis est, vllam semper cognoscere: cum etiam ab initio creationis habeat species intelligibiles rerum ex sententia S. Thomæ, & tamen non semper res alias cognoscit: essentia autem Angeli, in eius etiam opinione est tantum loco speciei impressæ, quæ est principium cognitionis. Ratio tamen aliquid probaret, si essentia ipsius Angeli ei esset non species ad eliciendam notitiam, sed ipsa notitia, quod expresse negarunt S. Thomas, & alij, vt vidimus disputatione 198.

Ceterum nonnulli etiam Theologi non solum docent, Angelum à sui cognitione cessare non posse, sed neque à cognitione Dei naturali. In hac sententia videtur esse Caietan. & Capreolus locis allegatis, & sequuntur aliqui recentiores Theologi. Vasquez in 1. p. tom. 2.

logiæ professores: eam tamen non tam certam esse existimant, quam præcedentem. Probant primo, quia si Angelus seipsum cognoscit semper, sequitur, omne etiam illud ab eo cognosci, quod in ipso representatur: sed Deus representatur in essentia Angeli: ergo semper ab Angelo intelligitur. Secundo Angelus cognoscit seipsum comprehensione sui, ergo si semper seipsum cognoscit, cognoscet etiam habitudinem, quam ad Deum habet, ac proinde & ipsum Deum semper actu cognoscet. Tertio, ipsa essentia Angeli est veluti species & principium cognitionis, non solum sui, sed etiam Dei: ergo quæ ratione facit, vt Angelus seipsum semper consideret, faciet etiam, vt in Dei etiam consideratione semper maneat.

Ego vero neque in hac sententia firmum aliquod fundamentum video, cum præcedenti opinione, quæ satis ambigua est, nitatur: si tamen semel admittamus, Angelum in sui consideratione semper versari, recte inferitur, Deum etiam semper ab ipso cognosci, non quidem propter primam, & tertiam rationem, sed propter secundam: quia cum essentia Angeli ab ipso Angelo semper actu cognoscatur notitia comprehensionis non potest non actu seipsum vt creaturam & facturam Dei considerare, ac proinde Deum ipsum actu cognoscere: nam intellectus, qui concipit rem, sicut est, non potest in ea concipere vnum sine alio, præsertim si ea realiter non distinguantur, vt disp. 116. cap. 2. dictum est: habitudo autem Angeli, quæ refertur ad Deum, non distinguitur ab Angelo realiter, nec ex natura rei, tum etiam ex iis quæ distinguuntur realiter, non potest Angelus vnum sine alio considerare, sed principium cognoscendi naturaliter, & non libere inclinat intellectum ad intelligendum tam vnum, quam aliud: huiusmodi autem est essentia Angeli, quæ si superior sententiam sequamur, ita naturaliter inclinat Angelum ad cognoscendum seipsum, vt à sui consideratione vacare nequeat. Quare nec in hac, nec in præcedenti difficultate aliquid certi haberi potest, tamen si sententia communis se ipsa placibilis, & satis probabilis sit.

Tertio addunt aliqui, Angelum in consideratione huius vniuersi semper versari: huius tamen nullum video fundamentum sicut neque opinionis Durand. qui affirmat, omnia entia naturalia ab Angelo semper actu cognosci, vt sequenti disputatione dicam.

ARTICVLVS II.

Vtrum Angelus simul possit multa intelligere.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod Angelus non possit simul multa intelligere. Dicit enim Philosophus 2. Topicorum quod contingit multa scire, sed vnum tantum intelligere. 2. Præterea. Nihil intelligitur nisi secundum quod intellectus formatur per speciem intelligibilem: sicut corpus formatum per figuram. Sed vnum corpus non potest formari diuersis figuris. Ergo vnus intellectus non potest simul intelligere diuersa intelligibilia.

ccc 2 3. Præ.

Quid sententiam in hac re.

Infra qu. 85. & art. 4. 2. d. 3. qu. 3. art. 2. Et 2. d. 14. art. 1. qu. 4. & 1. con. cap. 55. Et veri qu. 8. art. 4. & quod. 7. qu. 1. art. 2.

3. Præterea. Intelligere est motus quidam: nullus autem motus terminatur ad diuersos terminos. Ergo non contingit simul multa intelligere.

Sed contra est quod dicit Augustinus, 4. super Genes. ad litt. Potentia spiritualis mentis angelicæ cuncta quæ voluerit, facillime simul comprehendit.

Respondetur dicendum, quod sicut ad unitatem motus requiritur unitas termini, ita ad unitatem operationis requiritur unitas objecti. Contingit autem aliqua accipi vltra, & vltra: sicut partes alicuius continui. Si enim vnaquæque per se accipitur, plures sunt. Vnde & non vna operatione, nec simul accipiuntur per sensum & intellectum. Alio modo accipiuntur secundum quod sunt vnum in toto. Et sic simul vna operatione cognoscuntur, tam per sensum quam per intellectum, dum totum continuum consideratur, ut dicitur in 3. de Anima, & sic etiam intellectus noster simul intelligit subiectum & prædicatum prout sunt partes vnius propositionis, & duo comparata secundum quod conueniunt in vna comparatione. Ex quo patet quod multa secundum quod sunt distincta non possunt simul intelligi, sed secundum quod vniuntur in vno intelligibili, sic simul intelliguntur. Vnumquodque autem est intelligibile in actu secundum quod eius similitudo est in intellectu. Quæcunque igitur per vnam speciem intelligibilem cognosci possunt, cognoscuntur vt vnum intelligibile. Et ideo simul cognoscuntur. Quæ vero per diuersas species intelligibiles cognoscuntur, vt diuersa intelligibilia capiuntur. Angeli igitur ea cognitione qua cognoscunt res per verbum, omnia cognoscunt vna intelligibili specie quæ est essentia diuina. Et ideo quantum ad talem cognitionem omnia simul cognoscunt: sicut & in patriâ non erunt volubiles nostræ cogitationes ab aliis in aliâ euntibus atque redeuntibus, sed omnem scientiam nostram simul vno conspectu videbimus: vt Augustinus, dicit in 15. de Trinitate capite 16. ea vero cognitione qua cognoscunt res per species innatas, omnia illa simul possunt intelligere quæ vna specie cognoscuntur: non autem illa quæ diuersis.

Ad primum ergo dicendum, quod intelligere multa vt vnum est, quoddammodo vnum intelligere.

Ad secundum dicendum quod intellectus formatur per intelligibilem speciem, quam apud se habet. Et ideo sic potest vna specie intelligibili multa simul intel-

ARTIC. II.

ligibilia intueri, sicut vnum corpus per vnam figuram potest simul multis corporalibus assimilari.

Ad tertium dicendum, sicut ad primum.

CONCLVSIO est: Quæcunque cognoscuntur per modum vnius etiam si plura sint, possunt ab angelis cognosci: plura tamen vt plura non possunt cognosci simul. Quid vero sit plura per modum vnius, aut per modum plurium simul cognosci, sequenti computatione explicabitur.

DISPUT. CCXX.

Vtrum Angelus possit plura per modum plurium, an solum per modum vnius cognoscere.

Plura non nisi per modum vnius simul ab angelis cognosci posse varie Theologi defendunt. cap. 1.

Probabilior sententia. cap. 2.

Respondetur argumentis, quæ videntur opposita prædictis. cap. 3.

CAPVT I.

Plura non nisi per modum vnius simul ab angelis cognosci posse. vnde Theologi defendunt.

Non pauci Theologi cum S. Thomae sentiant, plura non posse ab angelis intelligi, cognosci nisi per modum vnius. Ita sentit videtur doctor Angelicus in hoc articulo, & 1. contingit. cap. 55. & 2. contra gentes. cap. 101. & quæst. 8. de veritate articulo 14. in corpore, & ad 6. quæst. sequuntur Caietanus & Ferrariensis locis allegatis. Aegidius in tractatu de angelorum cognitione quæst. 2. in 2. distinctione 3. parte 2. quæstione 2. articulo 3. Duns Scotus in 2. d. 8. quæstione 8. nu. 7. & Capreolus eadem distinctione quæstione 2. articulo 1. post nonam conclusionem, & articulo 3. solutione 2. & 3. contra eandem conclusionem. Fundamenta huius sententiæ sic vniuersim accipere inferius adducemus in quarto modo capitulandam: qui enim eam sequuntur non eodem modo ipsam defendunt. Quare & singulos modos, quibus illam explicant, distinde recensitemus.

Primus modus est Aegidij loco citato, quidam cet., intelligi quidem posse plura per modum plurium, hoc est, vt omnino diuersa inter se, & in ordine, si tamen intelligantur diuerso modo: non si eodem modo intelligantur, non possunt, inquit Aegidius, intelligi plura, nisi per modum vnius intelligi: autem plura diuerso modo, & eodem, contingit tripliciter (inquit ille) primo quando videtur vnum per essentiam, aliud per speciem additam essentia, hoc modo intelligit Angelus seipsum per suam essentiam, & creaturam per speciem additam essentia. Secundo quando vnum cognoscitur per gratiam, aliud per naturam: sic videtur Deus a Beatis per gratiam, & creaturæ per naturam. Tertio quando vnum principaliter, aliud autem minus perfecte, per consequenter cognoscitur: hoc pacto cognoscitur subiectum, & prædicatum: causa & effectus: subiectum & accidentia: ex his enim prius in vnoquoque ordine cognoscitur principaliter, postea minus autem minus perfecte & consequenter: creatura

Lib. 14. de Trin. cap. 16. circa finem, 80m. 3.